SAMMELHANDSCHRIFT MIT THEOLOGISCHEN TEXTEN

um 1455/1460 (Wasserzeichenbefund)

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36925
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

Tres magi viderunt novam stellam in oriente

Qui propinaret aquam gratie omni sitienti
Et daret aquam vite gratis pretium non habenti
David rex aquam allatam pro gratiarum actione offerebat deo
Gaudens et exultans quod tam robustos viros habebat
Cristus autem rex celi et terre gaudebat et exultabat
Quia adventus magorum conversionem gentium prefigurabat
David rex videtur ostendisse per aquam non ... suorum virtutem
Cristus perhibetur ostendisse nostram conversionem et salutem
Tres robusti Bethleem pervenerunt brevi hora
Tres magi de oriente brevi tempore pervenerunt
Sed queritur quomodo tantum spatium tam cito potuerunt transmeare
Dicendum quod Christo nato non erat impossibile hoc dare
Qui enim duxit subito Abacuk de Iuda in Babilonem
Cito perducere potuit magos in Iudeorum regionem
Venientes igitur magi in Bethleem coram puero procidentes bant
Aurum et thus mirram ei offerebant
Figura huius novi regis et huius oblacionis
Premonstrata fuit olim in regno regis Salomonis
Salomon rex licet puer erat tamen sapientissimus fuit
Iesus puer factus non minus sapiens quam antea extitit
Salomon rex residebat in trono de ebore mundissimo
Qui vestitus erat de auro optimo et preciosissimo
Universi reges terre regem Salomonem videre desiderabant
Et ei munera preciosissima et carissima portabant
Sed regina Saba tanta et talia munera offerebat
Quanta et qualia prius in Iherusalem visa non erant